affron' vihc asfren f parma

Morbio 23 (145)

Bernardinus miseratione divina sacrosancte Romane ecclesie tituli sancte Crucis in Ierusalem presbiter Cardinalis Episcopus Saguntinus per Italiam et Germaniam ac quecumque alia loca ad
que nos declinare contigerit Sanctissimi domini nostri Alexandri pape vi et apostolice sedis Legatus de Latere Dilectis nobis in Christo Bertino de Valaris de Tridino et Antonio de Caliano
Canonicis ecclesie Casalensis Salutem in domino sempiternam Humilibus supplicum votis ex commisso nobis legationis offitio libenter annuimus ac ea favoribus prosequimur oportunis Exhibita siquidem nobis
nuper pro parte dilectorum nobis in Christo Petrini de Palidis et Petri de La vinea laicorum Casalensis diocesis et dilecte nobis in Christo Margarithe relicte quondam Antonii Guiscardi mulieris
vidue dicte Casalensis diocesis petitio continebat quod cum ipsi Petrinus et Petrus ad executionem quarundam sententiarum pro filiis pupillis dicte Margarithe quorum ipsa Margaritha tutrix
existit et contra dilectum nobis in Christo Johannem de Guiscardis laicum dicte diocesis latarum deputati fuissent et dictus Johannes ab executione quam dicti Petrinus
et Petrus iuxta commissionem sibi desuper legitime factam prout tenebantur facere volebant ad curiam Mediolanensis loci Metropolitici ut dicitur appellasset quamvis exceptiones
legitime coram dicto Vicario quare ipse nullam iurisdictionem ordinariam seu delegatam in ipsos Petrinum Petrum et Margaritham aut pupillos ... habebat congruis
loco et tempore proposite fuissent Quia tamen dictus Vicarius exceptionibus huiusmodi saltim tacite reiectis quasdam litteras per quas eosdem pupillos ut infra certum terminum
tunc expressum quedam bona immobilia tunc expressa ad eos legitime pertinentia relaxarent ac dictos Petrinum et Petrum ne ulterius de huiusmodi executione se intromitterent sub excommunicationis
sententia et aliis censuris et penis ecclesiasticis monuit et mandavit eisdem decrevit pro parte Petrini et Petri ac tutorio nomine Margarithe predictorum sentientium propterea indebite
se gravari fuit ad sedem apostolicam appellatum Sed cum dictus Vicarius postmodum eosdem Petrinum et Petrum ac Margaritham in pristinum statum reposuerat gravamen eisdem
illatum revocando etiam per certas alias suas litteras eosdem Petrinum et Petrum ac Margaritham monuisset et mandasset eisdem quatenus infra sex dies tunc proxime sequentes causas
quare pro excommunicatis publicari et denuntiari non deberent ex eo quia prioribus litteris suis predictis non paruerant allegarent pro parte Petrini et Petri ac Margarithe predictorum sentientium
propterea ac etiam quia dictus Vicarius nonnullas exceptiones legitimas coram eo pro parte dictorum Petrini et Petri ac Margarithe quare ad huiusmodi publicationem procedere non
debebat sed quod ipsi ad eorum Judicem competentem remitti debebant congruis loco et tempore propositas admittere et ipsos litisconsortes super hoc audire contra iustitiam recusavit indebite se
gravari fuit ad sedem eandem de novo appellatum ac nobis humiliter supplicatum ut appellationum predictarum ac post illas circa premissa in preiuditium eorundem
Petrini et Petri ac Margarithe attemptatorum et innovatorum quorumcumque nullitatisque processus per dictum Vicarium habiti necnon negotii principalis causas aliquibus
probis viris in partibus illis committere ac eosdem Petrinum et Petrum necnon Margaritham ad cautelam absolvere aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica
dignaremur Nos igitur ad infrascripta per litteras sedis predicte sufficienti facultate muniti huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestre per presentes mandamus Quatenus
vos vel alter vestrum vocatis dicto Johanne et aliis qui fuerint evocandi eosdem Petrinum et Petrum ac Margaritham recepta prius ab eis cautione idonea quod si huiusmodi cen
suras in eos latas constiterit fore iustas vestris et ecclesie mandatis parebunt ab eisdem censuris ad cautelam absolvatis prout de iure fuerit faciendum super aliis vero auditis hinc inde propositis
etiam de negotio principali huiusmodi cognoscentes legitime quod iustum fuerit appellatione remota decernatis facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari Testes autem
qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere Non obstantibus Constitutionibus et
ordinationibus apostolicis Contrariis quibuscumque Aut si dicto Johanni vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari
non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem In quorum omnium fidem et testimonium presentes
litteras fieri nostrique soliti magni Sigilli iussimus et fecimus appensione muniri Datum Papie Anno Incarnationis dominice
Millesimoquadringentesimononagesimosexto kl Decembris Pontificatus prefati domini nostri pape Anno Quinto

No

Vill
D. Serrano

F. de Parma

A. de Arena

[illegible]

1496 1/XII

Decretum Regii a latere pro
Vidua de Guiscardis,
in quo de causa vertente
cum laicis

devaldevrelso

Morbio 23 (145)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1859267424-18/fragment/page=0002